

~~H 159.14~~  
M 128.497

ΟΓΔΟΑΣ.

*Sive*

QVÆSTIONVM  
MISCELLANEARVM EX PHYSI-  
CA DE PROMPTARVM OCTO.

*Quas*

D. T. O. M. A.

SVB PRAESIDIO.

*Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,*

DN. NICOLAI AGERII,  
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DO-  
CTORIS EMINENTISSIMI, ET IN FLOREN-  
TISSIMO ARGENTORATIENSIVM LYCÆO  
naturalis scientiæ Professoris acutissimi, Præce-  
ptoris sui omni honoris cultu prosequendi.

*Publicè*

PRO VIRIBUS TUEBITUR,

FERDINANDUS HEINDELIUS POSO-  
nienſis Ungarus.

*Ad Diem Aprilis.*

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS CAROLL

Anno M. DC. XXIV.



*Halk*

VIRIS  
NOBILISSIMO, AM-  
PLISSIMO, EXPERIENTISSIMO DN.  
JOHANNI GEORGIO von *Buechaw*. J. U. MEDICI-  
NAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI SAGACISSIMO;  
SAC. CAES. MAJEST. FERDINANDI II. ROMANORUM  
Imperatoris potentissimi, semper Augusti &c. Consiliario in-  
timo & Medico Aulico, parenti suo sanctè pieq; colendo.

HINC ETIAM

*Nobilissimo & prudentissimo.*

DN. JOHANNI *Zillinger* / Avunculo suo, omni honoris cultu  
prosequendo.

VT ET

*Tum Nobilitate generis, Tum  
prudentiâ spectatissimo.*

DN. MICHAELI SILVAY, Tricesimatori Pofoniensi su-  
premo: Affini suo atatè colendo.

NEC NON

*Nobilissimo, Consultissimo & Doctissimo*

DN. JACOBO SCZELLEZKI DE SCZELLE CZ, J. U.  
Doctore Celeberrimo, & Regiæ liberæq; Civitatis Pofoniensis, Metropolis  
Ungariæ, Advocato dignissimo: Literarum literatorumq; Patrono Constan-  
tissimo, Fautori & Promotori suo æternum venerando.

*Has primitias Academicas.*

Inobservantiæ monumentum, debitæ  
gratitudinis tesseram, studiorum  
suorum testimonium, amoris  
indicinam.

*Offert & Consecrat.*

FERDINANDUS HEINDELIUS  
A. & R.



## P R O O E M I V M.



Anguen illud Dīs oriundum, *Homerus*, de magnatibus refert Trojanis, quod conspectā *Helena* venustate tantopere admirationis fuerint percussi fulgore: ut tacitè inter sese invicem alter alteri dixerit: *Non esse Trojanis & Græcis vitio vertendum, quòd pro tam divina, deabusq; simili virguncula tam diuturnum & acre bellum debellent.* Pulchellè hæc de pulchrâ dicta. Sed non invenustè hoc ad nostrum quoq; licet pertrahere propositum: ut qui considerata eleganti & floridâ Philosophiæ specie eidem quoq; nostram offerentes operam pauculas pro re nata quæstiones in illius gratiam dedimus: de quibus rectissima militare possint ingenia, quæ in ipsius castris merentur. In agmen igitur procedit

## Q V A E S T I O I.

*An Demones verè cum hominibus congregiantur, & gignant?*

Quæstio hæc, in qua ingeniosissimi se exercuerunt viri, discussione ulteriori sanè non indigna: ut in cujus decisione sententiarum se ostendunt divortia non contemnenda: *Affirmativam* n. hujus quæstionis eligit *Augustinus lib. 15. de Civit. Dei. cap. 23.* & ipsius *Scholias* *Ludovicus Vives l. d. Perverius disp. 3. lib. 8. comment. in Genes. Zanchius de operibus sex dier. cap. 16. Negativam* amplectuntur *Chrysostomus hom. 22. in Genesin. Cyrill. lib. 3. Genes. B. Lutherus in cap. 6. Genes. Franciscus Vallesius de sacra Philosophia cap. 8. Timplerus l. 4. Metaphys. c. 4. problem. 26. 27. Ab utraq; igitur parte nobiles in hac arena gladiatores intueri licet. Ad quorum castra jam sit confugiendum, dispiciat veritas, & nobis rationibus persuadeat. Suavius vero nobis arridet opinatio tendens in negativam. Sic n. procedimus. Quicquid generat habet corpus, & ex qua est corpus, materiam: quam sequitur quantitas excludens indivisibilitatem. Generare n. est facultas animæ vegetantis, quæ non est nisi in corpore organico vitam quod habet potentia: *Aristoteles lib. 2. de anima cap. 1. T. 6. Demones verò habere corpora nemo cui sana mens in corpore sano, concedet: Quia sunt spiritus: In hoc autè corporeitas à materia dependens esse nequit. E. necessariò ex hoc præmissarū thalamo conclusio progreditur negativa, demones non generare: & hanc animæ potentiam propriam esse solis materiæ atq;**

*corporeis*; (loquendo de materia *Physica, metaphysicam* n. diabolis non abrogamus.) Quod si n. contrariae sententiae patroni in hoc *exceptionis* latibulo tutos se fore autumant: *dæmones ex sua natura, in se, & per se*, non gignere quidem, sed hoc in *assumpto* ab ipsis corpore præstari, in quo cum hominibus miscentur, & si mulieribus junguntur *incubus*, si viris, vocentur *succubus*, sunt nobis in promptu *responsiones* hæ: Quod diabolus in alieno illo, & *assumpto* corpore generare nequeat, propter hæc sequentia. Corpus illud à Diabolo *assumptum*, & aliunde petitum, vel esset *humanum*, aut *non humanum*. Si prius hujus disjuncti membrum adsumas, en tibi: Corpus illud humanum aut erit *mortuum*, aut *vivum*: si & heic prius statuas, argumentor: sublata *causa* generationis, ipsa quoq; generatio, tanquam *effectus*, tollitur: In hoc corpore humano *assumpto* & mortuo, *causa* generationis, *semen, seminis virtus, & naturalis* deficit *applicatio*. E. neq; dabitur generatio. *Vivum* esse si dicas: nec hic satis valide pugnas: Nam si corpus illud humanum *assumptum* esset *vivum*: viveret vel vitam *animalis*, vel *plantæ*, vel *hominis*. Si *animalis*: procederet animal *brutum*, non homo; si *plantæ*: emergeret *plantæ*, non homo: & hoc ex hoc: Quia simile generatione *univoca* producit sibi simile in *specie*. Si viveret vitam hominis, en absurda: Anima hominis per astutiam diabolicam esset vel ab *inferno* elevata, vel à *cælo* devocata, vel in agone sublata. Omnia ridicula. Vnde E. Diabolo esset anima humana? Sia. huc suffragio te inclinés tuo: Corpus à Diabolo *assumptum* fuisse non humanum; elige tibi aut *hoc*, aut *illud*: Aut erit corpus illud *brutum*: & sic in superiores scopulos impingis, quando diximus, ex corpore animæ bruti informato *brutum* quoq; generari: Aut erit *aliunde coactum*, videlicet ex *aëre*, cujus Diabolus princeps in sacris literis indigitatur. Sed quod nec hoc consistere possit, patet: *Inorganicum & inanimatum animati* non est productivum. *Aër* verò ille sanè *organicus, & animatus* non esset E. Quod a. Diabolus *semen* non habeat, sic demonstramus: si diabolus *semen* haberet: haberet vel à *se ipso*, vel *aliunde*: quando nimirum *succubum* agens viris auferret. Nullum toleratur. Illud prius manifestè absurdum. Hoc verò sic lucet: Quia si *dæmon aliunde semen* haberet: jam non Diabolus gigneret, de quo est quæstio: sed ille *causa* esset generationis, cui *semen erat ablatum*; cum tamen veri simile non sit, *Dæmonem* hac in his potestate pollere, ut vim prolificam facillimè expirabilem & dissipabilem extrà vasa possit conservare genitalia. Sic ut firmiter fiet statuendum; hunc congressum ex lapsa mente proficisci per *præstigias diabolicas, & ex mera imaginatione*, vel ex *qualicumq;* solùm *affricu* titillationem cieri, vel etiam *Diaboli arte* morbum quem *Ephialten* appellant, sagas invadere, ut se rem cum diabolo habuisse putent. Et tantum de hoc problemate.

## Q V A E S T I O I I.

*An Caelum propriè & informativè sit animatum?*

**S**I Bodinum confulas lib. 5. *Theatri natura*, sic audies: Caelum est animal intel-  
ligens &c. & *Conimb. lib. 2. cap. 1. quaest. 1. Art. 1.* nonnullos ex antiquis referunt  
*Philosophis*, qui in eodem erroris luto haerunt, ut caelos *animatos* esse credi-  
derint. Nec ab hac absurditate alienus est *Plato in Timaeo*. Sed vanè hoc senti-  
unt ex sequentibus: Si caelum *animatum* esset formâ *informante*, aut instru-  
ctum esset anima *vegetante*, aut *sentiente*, aut *rationali*. Non *vegetante*, quod  
sic probo: Si caeli *vegetantem* haberent animam, *altrice* quoq; facultate es-  
sent praediti, & sic opus haberent aliquo nutriri alimento; esset in ipsis quoq;  
facultas *auclrix*, & sic ex continuo incremento indies caeli crescerent &  
se in latiore locum exporrigerent, inde etiam quotidie excrementa ad nos  
defluerent: quæ omnia ridicula. *Generandi* ipsi quoq; non deesset potentia:  
adeoq; sibi produceret *simile*: unde per crebras generationes multi orirentur  
caeli. Vanè. *Sentientem* etiam animam non habere potest: quia hæc, sine  
*vegetante* non datur: quia ubi *sentiens*, ibi prius oportet esse *vegetantem* II.  
Quia hac ratione caelum *olfaceret*, *gustaret*, *tangeret*: & Sic III. necessariò  
organis ad sensationes obeundas sufficientibus deberet esse praeditum: quod  
non observamus: & si vel maximè his gauderet, IV. Tamen propter  
rapidissimam *velocitatem* sentire caelum nihil posset: Quando quidem experi-  
amur in vehementi talis modi circumvolutione, sensus sese exercere non  
posse: quapropter animal, quando circumagitur, penè concidit exanima-  
tum. & V. caelum continuâ agitatione defatigaretur. *Rationalem* caelo ani-  
mam attribuere qui vellet, ab omnibus exploderetur. Quod si Ergò caelum  
vocaretur *animatum*: fieret illud valdè *impropriè*, *ex hypothesis Aristotelicâ*, pro-  
pter *intelligentiam assistentem*: sed quemadmodum navis non rectè dicitur a-  
nimata propter nautam: sic nec caelum propter *intelligentiam*.

## Q V A E S T I O I I I.

*An lapides sint animati?*

**H**ÆC quaestio ex *superioris* examine satis clara; *affirmativam* verò diligit  
*Cardanus* his duobus argumētis fretus: Quicquid nutritur & augetur,  
illud est animatum: Lapidés nutriuntur & augetur E. 2. Quicquid gene-  
ratur, habet animam: quia generatio fit per *calorem*: calor a. est anima instru-  
mentum. Lapidés generantur. E. Sed ad hanc erroneam sententiam debel-  
landam, & machinas pro illa avertendas notandum: quòd nutritio & au-  
gmentatio *dupliciter* dicitur I. pro *appositione* partium *extrinseca*, per quam non

fit extensio secundum omnes partes, & hæc non fit ab anima, II. fit etiam nutritio & augmentatio proprie, & verè per alimentum intrinsecus assumptum: & hæc, non illa fit ab anima, & est propria. Ad Syllogismi E. prioris majorè limitatio hæc est adijcienda: quod solùm intelligi debeat, de nutritione & augmentatione proprie sic dicta, & tunc in minore Cardanus assumere non poterit, unde conclusio illius labitur. Lapidès solùm extrinsecus augetur, per appositionem partium: quemadmodum massa ex aqua & farina major fit, & augetur per appositionem alterius particulæ, nec tamen massa est animata. Similiter in altera Cardani argumentatione est vana illatio, sic n. procedo: Quicquid generatur, habet animam: Aër & Ignis generantur. E. habent animam. Conclusio est absurda. E. alterutra præmissarum. Non minor. E. major Cardani. Dicimus igitur lapides generari generatione non eâ, quæ est viventibus propria: in qua id quod generatur accipit non solùm formam, sed & materiã à generante: sed generatione impropria tantum, quia nimirum formam, non etiam materiam accipiunt novam. De quo Magirum videre licet. lib. 5. cap. 1. Physic. peripat.

## Q V A E S T I O I V.

*An plura corpora possint esse in eodem loco naturaliter?*

**I**N hujus controversiæ decisione quidam eò devenerunt, ut nec divina virtute fieri posse contenderint, duo pluravè corpora esse in eodem loco. Quidam verò longissimè ab hac sententia recedentes, naturaliter quoq; fieri posse autumârunt: ut videre licet in lib. 2. Physiolog. Cl. Fernelij cap. ult. qui à Florino aliquos deceptos, penetrationemq; dimensionum naturam non abhorrente statuentes allegat. Nos verò media & regia via incedentes asserimus: Naturaliter fieri non posse, ut plura corpora sive duo, sint in eodem loco: divina verùm ut illud fiat virtute, non esse impossibile. Vtrumq; ex resolutione argumentorum adversæ partis fiet manifestum. Primò n. quando sudores è cute nostra promanare, cutim tamen interim non secari, aut perfodi observarunt: duo corpora in eodem esse loco crediderunt. Conimbricenses quoq; in suis comment. super 4. lib. Auscult. Phys. cap. 5. quest. 4. plura pro hac sententia argumenta ponunt: eaq; juxtim refutant. Sunt autem hæc: quod II. in ferro candenti corpus ignis corpus permeat ferri: quod III. panis aquæ injectus undique à corpore penetratur, aquã nimirum, quod IV. vas cinere plenum aqua tantundem recipit, quantum si inane sit; cuius rei alia causa assignari nequeat: quàm quia aqua cinerem intime pervadit, & in eodem situ cum eo manet. Cui etiam simile est, quod aquæ scyphus ad summa labra plenus nummos excipit, nec effunditur, additis inquit Plinius lib. 7. c. 2. ponderibus

ad

ad vicenos sapè denarios. Ad hæc autem argumenta responsiones sunt in promptu evidentissimæ. Quodenim de sudore corpus penetrante proferunt; est manifestè ineptum: quia certè sudor non ipsum corpus penetrat, sed per poros cutaneos emittitur, absullâ hostili & violentâ progressionem. Quæ ratio quoque est in illo exemplo, quod de pane aquæ immerso proferunt: cum vel illi, qui nondum are lavantur, animadvertere possint: ad fugam duorum corporum in eodem loco panis quantitatem augeri notabiliter. Ad reliqua argumenta de vase cineris pleno, & scypho, ferroque candenti, respondet Aristoteles ipse & Conimbricenses loco dicto. Aristoteles autem in problemat. sectione 25. problemate. 8. reponit, plurimos esse in cinere meatus, per quos aqua ingrediens cineres pervadit: & facta successive cõstipatione paulatim addensat: donec demum cinis subsidens collabatur, & humorem per cava & sinus excipiat. Quid? quod cinis aquam in vaporem halitumque resolvit: cum quo & aliqua cineris partes exhalant, quæ scilicet magis sunt tenues atque calidæ. Ad illud verò de scypho respondetur: quod quando nummi aut alia in aquâ immittantur, nihil tamen effluat; non illud fiat propter mutuam corporum penetrationem: sed quia partes aquæ mediæ in cumulum crescentes se attollunt: nec tamen diffluant propter siccitatem labiorum in scypho, quæ fluxum illum cohibent: cum mox ipsis madefactis aqua dilabatur. Ad illud verò quod de ferro adferebatur candenti, respondent Conimbricenses: Neque in ferro candenti, ignis substantiam ferri permeat, (& si ob multitudinem caloris in tam densa & compacta materia ita videtur) cum in eo, quam diu ferri forma est, ignis forma non sit. Quæ responsio, quid sibi velit non omnino assequimur. Si enim hoc innuunt, ignis substantiam cum substantia ferri eundem locum non possidere, verum dicunt: quod verò postea addunt, ignis formam non adesse, quam diu adsit forma ferri, aut nihil ad rhombum aut falsum dicunt. Elenchum alienæ quæstionis committunt: si eam materiam, quæ jam forma ferri est informata, forma ignis informari posse negant. Nō enim hic disceptatur, an una materia formis possit informari duabus: sed quæstio est, an ille ignis, qui est in ferro, & propriam cum materia formam habet, eundem locum in ferro possideat, quod & ipsum est suam materiam, formamque præditum. Ad hoc inquam Conimbricenses debebant respondere: id quod hac ratione nō præstiterunt. Falsum verò tuentur Conimbricenses, si defendunt id, quod verba præse ferunt: ignem formaliter non esse in ferro. Nam hoc ipse sensus refutat. Sic argumentor: Ubi ponitur operatio ignis, ibi aut forma, aut proprietas essentialiter consequens formam ignis adsit, necesse est. In ferro candenti operatio ponitur ignis. E. aut forma, aut proprietas. Quid ergò hoc concessio adversariis penetrationem dimensionum statuentibus erit respondendum?

Id, quod

Id, quod de pane diximus, etiam de ferro. Est n. ferri corpus porosum, rarum, unde fit, ut pori ferri prius aëre completi postmodum igne compleantur. Si igitur in ferro frigido non ideo, quia aër & ferrum quasi cohabitant, statim inferre licet, plura corpora esse in eodem loco: id quod ex præsentia pororum in ferro demonstravimus: neq; ex ferro candenti, quando aër, in poris ignis succedit, illud colligere est concessum. Quod n. quidam excipiunt, panem aquæ injectum ad sensum majus apparere, quod in ferro non deprehendatur: simpliciter negatur ipsorum effatum; nec ipsorum in experientia poterit esse præjudicio alius experientiæ. Si n. ferrum certæ alicujus longitudinis sumas, & illius longitudinem ad baculum quendam examines, qui ferro illi in longitudine debeat correspondere, & baculum retinens ferrum igni, ut candens fiat, imponas, manifestam hujus effati falsitudinē deprehendes. Educto enim ferro igneo, si ferrum ligno applicatur iterum, ad sensum videbitur, ferrum excreuisse, & baculo illo esse longius: & quod magis mirandum, si ferrum illud aliquamdiu extrà ignem permanserit, ad frigus pristinum reversurum ad pristinam quoq; redibit quantitatem. Cujus rei causa sanè nulla alia assignari poterit: nisi hæc, quod *duo pluravè corpora in eodem loco* esse nequeunt. Quando n. pori antea aëre repleti aërem amittunt, per ingressum ignis ferrum extenditur: quia ignis corpus est tenuissimum, & multò majore loco quam aër indiget: id quod in *pulvere pyrio sive bombardico* apparet. Nisi n. statuas, ignem aliud corpus antea præsens expellere, ne duo corpora sint in uno eodemq; loco: non cognosces, cur plumbum tanti ponderis, vel ferrum, tam validâ vi impellat. Et hæc de illis, qui *naturaliter* duo corpora, aut plura in uno eodemq; loco quod esse possint, adstruunt. Quod a. non sit absurdum, si *divinâ* illud fieri posse *virtute* dicamus, probamus hoc modo: Quod non implicat *contradictionem*, illud omne continetur sub possibili, respectu cujus Deus dicitur omnipotens. Atqui duo vel plura corpora esse in eodem loco, non implicat contradictionem. E. *Divinâ* virtute illud fieri posse non est averſandum. Quæ contra hoc adferuntur, ipsi disputationis actui reservata volumus.

## Q V A E S T I O. V.

*An omnis creatura sit in loco?*

**S**Tatuitur theſis *affirmativa*, inquit *Timplexus lib. 12. sue metaphys. c. 5. quest. 5.* & hanc suam theſin tueri studet, *sex* rationibus, quas deinde sumus examinaturi. Prius vero nostram *negativam* his munimus argumentis: Nulla substantia *incorporea* est in loco. Sed omnis substantia *incorporea* est creatura. Ergo quædam creatura non est in loco. *Minor* patet. *Maior* probatur. *Quicquid*



quid est in loco, illud est *quantum*. Atqui nulla substantia incorporea est *quantum*. Ergo nulla substantia incorporea est *in loco*. *Uterius*. Si non omnia corpora naturalia sunt in loco: sequitur etiam non omnes creaturas esse in loco. Sed non sunt omnia corpora naturalia in loco. Ergò. Minor constat assensione *Aristotelis*, qui expressè asserit, *Cælum ultimum* non esse in loco; eò quòd externo aliquo & ambiente corpore non circumdetur. Jam verò omne illud, quod taliter se habet, non est in loco. Jure etiam de terrarum in loco verè fit, ambigitur: ut ex definitione loci patet. *Pergo*: Omnis creatura est in loco. *Locus* est creatura. E. locus est in loco. *En tibi processum in infinitum!* Rationes *Timplerianæ* hæ sunt. I. Quicquid est *finitum*, certisq; naturæ limitibus circumscriptum, illud est in loco; quia *finitudo* est causa locationis proxima. Jam verò, inquit *Timplerus*: omnis creatura est *finita*, & certis naturæ limitibus est circumscripta. Ergò. R. Distinguendum inter *Circumscriptionem loci externam*, & inter *terminos essentia*. Unaquæque creatura certam, finitamque habet essentiam. Sed hoc non sufficit ad locationem actualem: sed requiritur quoque corpus ambiens: quod non competit omni creaturæ. II. Dicit *Timplerus* locum esse *essentialem* proprietatem omnis creaturæ, & propterea salvis creaturis nullo modo locum posse abesse. Sed fallit & fallitur. Si n. locus omni creaturæ esset *essentialis*, esset vel à *priori* vel à *posteriori* essentialis. Non a. à *priori*, id quod patet præcipuè in creatura *spirituali*: quia, juxta hypothesin *Timplerianam*, locus est spatium corporeum, s. *corpus*: *corpus* verò nullam ingreditur constitutionem essentia *spiritualis*. Non etiam est essentialis locus corpori à *posteriori*, quæ n. talia sunt, sunt *inseparabilia*. At locus non est *inseparabilis*: quia modò in *infero*, modò in *superiore* loco sumus constituti. E. III. infert suam sententiam hoc medio: quia omnis creatura alicubi existat & operetur: sed nemo nostrum negavit, omnem creaturam esse in *ubi*: At quis *ubi* & *locum* distincta esse nescit? In I. V. ex eo, quod nulla creatura fit *ubiq;* necessariò eam in loco esse concludis? Sed quæ necessitas consequentiæ sit, non lucet: cum plures sint *modi inessendi*, ut testatur *Aristoteles lib. 4. Phys. auscultat. cap. 3. T. 23.* Sunt n. quædam in suo *ubi*, *pars* est in suo *Toto*, *Totum* est in suis *partibus*, *species* est in suo *genere*, *Genus* in *speciebus*, *Forma* aliter & proprio modo in materia est. Sextum *Timpleri* argumentum est *nuda affirmatio*, quando dicit: Si aliqua creatura non esset in loco, sequeretur eam non esse finitam; adeoq; *nuda negatione* refellitur.

## Q V A E S T I O V I.

*An qualitates primæ sint formæ elementorum?*

**S**unt, qui tuentur *affirmativam*: nos negamus ob has rationes. Nullum

accidens forma potest esse *substantialis*. Qualitates primæ sunt *accidentia*. E. non possunt esse formæ *substantialium*. Majoris veritatem non negabit, qui ex Philosophicis didicit, accidentia substantiis esse *posteriora*: Nullum autem *posterius* constituit *prius*. Quod autem *qualitates primæ non substantiæ* sint, sed *accidentia*, clarum ex hoc: quod appellantur. Qualitates: & ulterius, Quicquid in mixtis est accidens, illud in elementis non potest esse substantia. Qualitates primæ in mixtis sunt accidentia. *Piccolom. de elementis lib. 2. c. 5. E. Porro.* Nulla substantia recipit *magis & minus*. At qualitates primæ recipiunt *magis & minus* E. Major est *Aristotelica*. Minor constat: quia unam rem alterà esse calidiorem, magisq; frigidam sentimus. Similiter: Nulla substantia *per se* cadit in sensum. Sed omne quod sentitur, *mediatis* sentitur accidentibus. Qualitates primæ *per se* cadunt in sensum, E. Quid, quod *instrumenta* formarum *substantialium*, ut sunt qualitates primæ, non sunt *ipsæ* formæ *substantiales*? Sequeretur ultimè ex contrariâ sententia, uni rei *plures esse formas*: quia certè qualitates primæ mixtis insunt; quod tamen Philosophorum leges damnant. Quæ in contrarium adferentur, differimus.

## Q V A E S T I O V I I.

*An Cælum agat in hæc inferiora: & quid de predictionibus sit statuendum astrologicis?*

**V**arios superiorum corporum in hæc sublunaria esse effectus, exinde patet: quod *sol* pro vario positu, quem obtinet, generationis & corruptionis efficit vicissitudines. *Brumali enim solstitio* succus arborum antè demissus & imus hærens, ex radice sursum tendit: ut ait *Gellius l. 9. c. 7. Vulgè & scriptum & creditum est, folia olearum arborum brumali & solstitiali die converti, & qua pars eorum fuerat inferior atq; occultior eam super ferri & exponi ad oculos & ad solem*. Quod nobis quoq; semel atq; iterū experiri volentibus, ita propemodum visum est. Quia & minimū animal *formica*, in interlunio semper cessans, vires siderum dicitur experiri à gravibus authoribus. Ligna quoq;, quæ jam vel plena vel adhuc *crefcente Lunâ* dejecta sunt, inepta putantur fabricis, quasi per humoris conceptionem. Et agricolis curæ est frumenta non nisi Lunâ deficiente colligere: ut sicca permaneant: ut testatur *Macrobius in fine 7. Saturnal.* Sic Lunâ plenâ major ætus est maris, quam aliàs. Corpora etiam *humana* aliter atq; aliter afficiuntur ex diversâ superiorum constitutione. Experientia siquidem, rerum non fallax magistra, testimonium perhibet, homines idè modò esse alacriores, expeditiores, ad perficiendas sui officij partes, modò esse tardiores segnioresq;: & hanc superiorum in hæc inferiora  
*insuen-*

*influentiam* medici non ignorant, qui de morbis sapissimè ex vario siderum positu divinant. Licet n. astra cœli, quæ sunt *materialia*, in *immaterialem* potentiam intellectus, atq; voluntatis, non agant, *immediatè directè*: tamen *mediatè & indirectè*: quando nimirum *organa* corporea afficiuntur: & *his inter-venientibus* anima spiritualis, quæ agit ut plurimum *pro dispositione sui corporis*: quod ipsum agnoverunt quoq; *Conimbricenses lib. 2. de Cœlo. c. 3. quæst. 8. art. 1.* Ut aded sint injurij in astra omnes illi, qui omnium siderum in hæc inferiora *influentiam* negant: & plus, quàm decet, vehementes Astrologiæ ofores se profitentur. Inter quos *Picus Mirandula*, & *Firminus*: qui Astrologiam *ma-lorum demonum inventum esse calumniari* non erubescunt. Et apud *Gellium lib. 14. cap. 1.* *Phavorini* tota extat disputatio contrà *Astrologos*. Ut verò hi in nimia *influentiarum cœlestium* reprehensione peccant: ita illi, in nimio prædictio-num Astrologicarum encomio modum excedunt: ut sunt *Petrus de Aliaco l. de concord. Astronomia cum Theolog.* & *Cardanus* qui horoscopum etiam *sospita-toris nostri Christi* ex astrorum positu meditantur: & *Christum* ided in patibulo suspensum allèruñt: quia in ejus geniturâ *Mars* in domo Mortis fuerit. Sed nos contrà hos judicarios breviter concludimus, dicendo: *Prædictiones Astro-logicae nulla specie necessitatis necessariae sunt, sed tantùm sunt contingentes propositiones, aliquot conjecturis probabilibus suffulta: nullam planè necessitatem propositioni-bus ipsis importantes*: intelligentes hoc de *Astrologia Judiciariâ*, non naturali, quæ naturam, ac proprietates astrorum ex effectis, magnitudines item, mo-tusq; judicat: *Eclipses* quoq;, & aspectus prævidet: cujus aliquam esse certi-tudinem non negamus. Contrà hanc verò *judiciariam*, quæ sibi vaticinium sumit de rebus his verficulis comprehensis:

1. *Vita*. 2. *Lucrum*. 3. *Fratres*. 4. *Genitor*. 5. *Nati*. 6. *Valetudo*. 7.

*Vxor*. 8. *Mors*. 9. & *Iter*. 10. *Regnum*. 11. *Benefactaque*. 12. *Carcer*.

Sic argumentamur: sicut se res habet in *essendo* ita & in *cognoscendo*. At effectus illi non tantùm à *cœlo*, sed etiam à *causis* proveniunt *secundis*. Ergò. Li-cet n. astra ad eorum multùm conducant & *effectiorem*, & *effectorum conser-vationem*: tamen, si unius cuiusque naturam in *particulari* spectemus: & pro-pria cum specifica tum individua: particularem profectò causam quod plus imitentur, quam universalem videbimus. Jd quod clarum in rusticis, qui ad eundem siderum aspectum semina terræ committunt diversa: unde diversitas utique, non constellationibus, sed semini est adscribenda. Deniq; si animus noster *immortalis* in agendo libertatem habet: illa superiorum influentia nullam rebus prædictis inferet necessitatem. Futura enim si cog-noscuntur, aut in *se ipsis* aut in *causis* cognoscuntur. Non in *illis*, quippè cum sint futura, nondum per se acta sunt, Nec in *his*, quia eorum causa DEVS, at

quis huius sensa cognovit? 2. Cœlum; at hoc indifferens. 3. Voluntas, quæ se habet ad futura indeterminatè. Quibus concludimus, statuendo: *Magnam esse astrorum in hæc sublunaria influentiam; per Astrologiam itidem naturalem multa certò cognosci posse; Iudiciariam verò illam esse coniecturalem, incertam, & quandoque impiam.*

## Q V A E S T I O VIII. & postrema.

*An anima sit in toto corpore Totà, & in qualibet eius parte Totà?*

**I**N limine huius questionis notandum, animam tripliciter posse vocari Totã. 1. Secundum essentiam. 2. Secundum quantitatem. & 3. Secundum potestates. *Colleg. conimb. 2. de anim. Cap. 1. quæst. 9. art. 2.* Secundum priorem igitur Totalitatem essentia dicimus; animam non inesse secundum essentiam alius saltem parti corporis, ita ut in alia non sit: *concupiscibilem* quidem in jecore; *irascibilem* in corde; & *rationalem* in cerebro, ut statuebat *Plato*; & alij; qui rem hanc simili declarant ab *arancâ* desumpto ita, Ut: *Quemadmodû illa in medio telæ residens sentit motum exterius vel interius factum: sic anima in centro cordis residens totum corpus vivificet, & omnium membrorum motum dirigat.* Sed hanc conclusionem *Scaliger exerc. 76. sect. 1. 307. f. 29.* hoc modo refutat: *Si anima est in corde, & vis eius tantum in reliquis membris, vis illa erit vel substantia, vel accidens: si substantia est, anima in illis quoque est. Si accidens est; non sunt anima illa, neque formam viventis habent.* Hic autem quando dicimus animam secundum essentiam Totam esse in toto corpore, est tenendum, non à nobis affirmari, quasi in omnibus equaliter insit partibus: Sed est in aliquo præcipuo membro radicata; sic ut aliud sit inesse essentialiter, & inesse Radicaliter. Nec hoc volumus, quod anima omnes ubi vis actiones æqualiter exercent. Sed in cerebro sapit: in corde irascitur: cernit in oculis: audit in auribus: olfacit in nasibus: gustat in palato & lingua, sentit in omnibus partibus corporis, quæ aliquid habent nervacei: quod exemplo, sed non per omnia simili *Erasmus colloq. Fam. tit. Puerpera* illustrare nititur: & quidem uxoris, *quæ in officina est textrix aulæ eorum, in tabernâ eorundem venditrix, in culina coqua, in cubiculo uxor, inter liberos Mater, inter famulas domina: & tamen est una eademque.* Ex quibus hætenus disputatis non est obscurum, quomodo anima tota secundum potestates insit. Quod nempe in qualibet corporis parte secundum originem insit, sed non secundum subiectum. Sicut visiva facultas est in solo oculo, ut subiecto: sed originaliter est etiam in pede: quia in pede est anima, quam illa facultas cõsequitur, ut docet *Zab. de part. anim. cap. 14.* Ita ut si in digito esset oculus, anima in digito videret per oculum, nulla accitã è cerebro potentiã peculiari *Scaliger exerc. 337.*

de Totã

f. 37. Si verò tertium de *Totabilitate* loquamur *quantitativa*, non est in qualibet parte Tota: Sed pars (ut improprie loquar) in parte; quia anima ad extensionem materiae est extensa. Vide Zabarell. de partit. anim. cap. 10. 11. & 12. Quae quaestione finimus.

Gloria sit Summo, Lausque decusque DEO.

F I N I S.

---

AD NOBILISSIMUM ET DOCTISSIMUM, DN. RESPONDENTEM  
PHIL. CAND. MERITISSIMUM.  
*Amicorum Suorum Caesarem.*

I.

Iudicium non est certo de nomine certum  
Ex astris quod quis colligat, ipse putas:  
Inclinant ad te Fernandum mente favente  
Vallisfer, Aggerius, Lumina clara Scholæ,  
Et sophico fulgent quæ cætera sidera cælo,  
Nomine Te Doctum prompta beare novo:  
Ipforum fuerit nam si conjunctio facta,  
Augebit nomen syllabaterna magis.  
Undè vides, quàm non firmo sententia talo  
Constet. Per te sic nempè refuto theses.

II.

Nobilitate Patris gaudes, quem Caesaris aula  
Consultum, Medicum corporis atq; vocat;  
Quem vatem atq; sopherum bis bino ornavit honore  
Laurea, doctorum cingere nata caput  
Nobilitas Artis tua pectora possidet, Artis  
Vndis Aoniis quæ semel hausta tibi.  
Non solâ polles tu nobilitate Parentis:  
Nobilitas ea sit sanguinis, hæc sit Aqua.

Amor. Honor. E. F.

M. Paulus Ulricus Daitingâ Palat.  
Ss. Theolog. Stud.

I I I.

**E**rgò sic, Fernand, sophicâ bellator arenâ  
 Depugnas docto prælia corde semel?  
 Sic age, sic certa, dabitur tibi sicque corona  
 Victori, constans pectore quando manes.  
 Urbs Posonenfis ave; sobolem tibi gratulor istam,  
 Quæ mihi Mater eras, Urbs Posonenfis ave!  
 Latetur, Fernand, Mater Pietatis amica,  
 Latetur de te sæpiùs illa, precor,  
 Illa, mihi fuerat quæ sæpè iuvamen egeno  
 Doctrinâ capiat gaudia plura tuâ:  
 Ad multos annos, quæ Fœmina vivere digna  
 Vivat; tu simulquæ, Dulcis amice, vale.

*Amica Benevolentia E. F.*

Augustus Reidt, Cantor & Ludimode-  
 rator ad D. Thomæ.

I V.

**H**eindeli frater! Musis Fernande Latinis  
 delictum! Phæbo spes gravis una *sopho!*  
 Bis lucas, bis clarus ades, virtute, camænis;  
 Viribus hæ propriis, illa Parente venit.  
 (Patriam nam virtus propriis conjuncta Camænis,  
 hæ clarum, clarus qui fuit ante, facit.)  
 Cæsar Amicorum constans Fernande; camænis,  
 si perges, perges? pergito! Cæsar eris.

*mente magis volente*

Johannes Michael Moscherofsch,  
 Wiltstadiensis Hanoicus.

V.

**N**obilis iste magis sic qui Virtute coruscat  
 Quàm de præclaro stemmate stemma trahens.  
 Ergò tu studium virtutis sedulus urge:  
 Hinc etenim solus Nobilitatis honos.

*F. quibus evana*

Johann. Conradus Böringerus

V I.

**A** Scensu superare juvat, Fernande, cacumen  
 Parnassi, repetas laurea ferta tibi,  
 Et per te quondam tua Pannonis ora vigescat,  
 Ora, in quâ primò lux tibi visa fuit?  
 Diva sophia suam dextram nunc porrigit ultrò,  
 His thesum precibus pectore victa jâcens.  
 Ergò quin venias gressu quàm præpete, Fernand,  
 Hanc Helenam doctâ jungere mente studens,  
 Est ea prompta fatis, nec dura voce recusat  
 Se tibi. *Quin venias, Diva sophia venit!*

*Amic. contestand. E. F.*

Johannes Georgius Wochennavver  
 Heidenheimiâ Württembergi-  
 cus, Philosoph. Studiosus.

V II.

**D**ædaleum Ingenium fat fat, dulcissime Fernand,  
 Per docto nobis designas hoccè labore;  
 Pulvere Palladio sudans virtutis alumnus  
 Ingenium monstras quod culmina tendit ad alta.  
 Macte animo: majora dabis: Dii cœpta secudent.  
 Hoc faciendo tuum nomen florebit in ævum.

*Amico Exoptatissimorudè  
 calamo festinabat.*

Johannes Sebastianus Leytter-  
 sperger Argent.

V III.

**Q**uamvis sint alii Patribus prælustribus orti,  
 Et sibi sic pariant sanguine grande decus!  
 Sunt tamen indocti, simul & virtute carentes,  
 Non verè possunt Nobilitate frui?  
 Te quoniam efficiunt virtus & Musa celebrem,  
 Heindeli verè Nobilis esse potes.

*Familiaritatis. E. l. m. q. F.*

Casparus Straub Leippheimio-  
 Ulmensis, Philo, Studiosus.

F I N I S

B.N.U.S.



3 6701 00919 2759



2 1 M 1 V



~~H 159.14~~  
M 128.497

ΟΓΔΟΑΣ

*Sive*

QV AESTIO  
MISCELLANEARVM  
CA DE PROMPTARVM

*Quas*

D. T. O. M.

SVB PRAESIDI

*Clarissimi atq; Excellentissimi*

DN. NICOLAI  
PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE  
RECTORIS EMINENTISSIMI, IUSTITIAE  
PRAESIDENTISSIMO ARGENTORATENSI

naturalis scientiae Professoris acuti-  
ssimi, cuius in honorem et cultum

*Publicè*

PRO VIRIBUS TUE


FERDINANDUS HEINDELING  
nienfis Ungarus.

*Ad Diem Aprilis*

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS

Anno M. DC. XXI



Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Cc

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16